



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

IX. De lectione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
 CHRISTI  
 1117.

VII.

*De immoderata statione.*

Quod autem auribus nostris verissimus testis insonuit, videlicet immoderata statione & sine mensura stando diuinum officium vos audire, ita fieri non præcipimus, imo vituperamus; sed finito psalmo, Venite exultemus Domino, cum inuitatorio & hymno, omnes sedere tam fortes quam debiles, propter scandalum euitandum, nos iubemus. Vobis vero residentibus, vnoquoque psalmo finito, in recitatione Gloria Patri, de sedibus vestris ad altaria supplicando, ob reuerentiam sanctæ Trinitatis ibi nominatæ, surgere, & debilibus inclinare demonstramus. Sic etiam in recitatione euangelii, & ad Te Deum laudamus, & per totas Laudes, donec finito Benedicamus Domino, stare adscribimus, & eandem regulam in Matutinis sanctæ Mariæ teneri iubemus.

VIII.

*De refectioe conuentus.*

In vno quidem palatio, sed melius dicitur refectorio, communiter vos cibum accipere credimus, vbi, quando aliquid necessarium fuerit, pro signorum ignorantia, leniter ac priuatim querere oportet. Sic omni tempore quæ vobis necessaria sunt cum omni humilitate & subiectione reuerentiæ petite ad mensam, cum Apostolus dicat: *Panem tuum cum silentio manduca*; & Psalmista vos animare debet, dicens: *Posui ori meo custodiam*, id est apud me deliberaui, *ut non delinquerem*, id est, *lingua*; id est, Custodiebam os meum ne male loquerer.

IX.

*De lectione.*

In prandio & cœna semper sit sancta lectio recitata. Si Dominum diligimus, salutifera eius verba atque præcepta intentissima aure desiderare debemus. Lector autem lectionum vobis indicat silentium.

X.

*De carnis refectioe.*

In hebdomada namque, nisi natalis dies Domini, vel  
*Concil. Tom. 27.* I ij